

## **Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Antverpiae, 1647**

152. Quinque Vulnusculis compungit pectus, appressione clavorum, Crucifixi ad pectus dependenti infixorum, Alexander Cardinalis Ursinus, Italus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)

## 254      SOCIETAS IESV

de , ac si senectute confessus esset ,  
 ( cùm esset annorum XXXIX. quæ fuit  
 ætas CHRISTI D. quando is CRVEI af-  
 fixus est ) resolutis viribus, placitè , pie-  
 que, animam Creatori, ac Redemptori  
 suo resignavit, ANNO M. DC. XXVI. Au-  
 gusti die XXII. Cor Bracciano, ubi mor-  
 tuus est, Romam delatum ad ædem So-  
 cietatis Farnesianam, ex ejus voluntate  
 in Cardinalis Bellarmini sepulchro tu-  
 mulatum est.

*Cornelius à Lapide ibid. & Bibliotheca  
 Societ.*

## II.

## AMATOR CRVCIFIXI

*Quinque Vulnusculis compungit pectus  
 appressione Clavorum Crucis ad  
 pectus dependenti infixorum.*

152.

ID signatè commendari reperio in e-  
 logio, quod Cardinali laudato, è So-  
 ciis scriptis Vir pius & facundus. Hoc  
 verborum complexu.

ALEXAN-  
 DER URSI-  
 NVS CAR-  
 DINALIS  
 Italus.

ALEXANDER URSINVS Cardinalis  
 sub ipsâ purpurâ & pietatem coluit , &  
 dolorum CHRISTI PASSI imitatio-  
 nem occultavit. Sigillum CHRISTI è  
 CRUCE pendentis in sinu ita gestavit ,  
 ut obversis in pectus clavis , cùm libe-  
 ret, apprimere ( libebat autem sæpissi-  
 me )

## CVLTRIX CRVCIFIXI. 255

mè) QVINIS illud compungeret VUL-  
NVSCVLIS, & Amori, ne incomitatus,  
aut erubesceret, aut dilaberetur, Dolo-  
rem comitem adjungeret, cuius in sinu  
pulcherrimè ac molliter illum didicerat  
conquiescere.

Ioannes Rhò varia virtut. hist. lib. 3.  
cap. 2.

### III.

## AMATOR CRVCIFIXI

*Signo Crucis mira multa, & multis  
incredibilia patrat.*

**S**i quis est è Societate IESV, qui inde famam meretur, certè BERNARDI-  
NVS REALINVS primas obtinet, qui veteres recentesque omnes in hoc gene-  
re superasse videtur. Appono nonnulla.

I. Francisco Massæ Lupiis conciona-  
turo, statim ut advenit ex labore Hy-  
berni itineris cnata parotis tantum cru-  
ciatum ingerebat, ut linteamina denti-  
bus discerperet, ac tredecim dies som-  
ni cibiique expers lugeret dumtaxat a-  
nimoque deficeret. Ergo interposito  
nomine charitatis à Bernardino postu-  
lavit, ut Evangelium pro infirmis sibi  
recitaret, auremque affectam CRVC<sup>E</sup>  
SANCTA signaret. Fecit Pater moxque

153.  
BERNAR-  
DINVS  
REALINVS  
Italus.